DE TUMORIBUS NERVORUM ADJECTO EORUM CASU NOVO.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

EX AUCTORITATE ET CONSENSU GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS IN ALMA LITERARUM UNIVERSITATE FRIDERICIA GUILELMIA RHENANA

AD

DOCTORIS MEDICINÆ ET CHIRURGIÆ GRADUM

RITE ASSEQUENDUM CONSCRIPSIT

ATQUE

DIE II. SEPTEMBRIS ANNI MDCCCXXXIII.

PUBLICE DEFENDET

THEODORUS BAUMEISTER

BORUSSO - RHENANUS.

CUM TABULA LITHOGRAPHICA.

BONNAE

EX OFFICINA MOESTIANA.

PRAECEPTORI ILLUSTRISSIMO

CAROLO GUILELMO WUTZER

MEDICINAE ET CHIRURGIAE DOCTORI, CHIRURGIAE PROFESSORI PUBLICO ORDINARIO, INSTITUTI CLINICI CHIRURGICI BONNENSIS DIRECTORI.

VIRO MAXIME DE ME MERITO.

D. D. D.

GRATO ANIMI SENSU

AUCTOR.

Res nondum tractatas, neque a medicis, jam diutius artem exercentibus, excultas dissertationis thema sumere si medicus tiro velit, cum propter mediocrem in literis medicis scientiam, tum ob argumenti ipsius difficultatem operi eum sustentando imparem fore, cuivis opinor est confitendum. Repetere autem aliorum dicta atque praecepta honestum mihi non videtur. Est autem difficillimum, eligere dissertationis argumentum, quapropter, diu mihi cogitanti, quonam prae ceteris uterer, pergratum fecit professor illustrissimus W u t z e r, *quum me moneret, ut de nervorum tumoribus scriberem, simulque hujus morbi casum enarrarem, quem in clinico Bonnensi observavimus. Quod quidem thema eo libentius sumebam,*

quia vir clarissimus omni modo adjuturum me esse pro Sua benevolentia pollicebatur. Utinam praeceptori carissimo pro magna erga me humanitate meritas agere possim gratias. Lectorem obsecro benevolum, ne praeceptoris praestantiam ex discipuli labore velit dijudicare.

Nomina multifaria, quibus artis periti tumores nervorum accuratius significare student, eos non semper ejusdem generis esse demonstrant. De quibus si singulas observationes comparare velis, et in structura et in forma magnam quandam diversitatem reperies; alias enim interna solida, compacta, albescentia et micantia sunt 1), alias habent texturam steatomatosam, modo minus, modo plus solidam, in qua noduli duri, vesiculae et cellulae apparent, quae aut inanes aut repletae sunt materia fluida vel flavescente et tenui, vel fusca et crassa syrupoque simili 2); alias ex una sola caverna constare videntur, cujus parietes fibrosae vel cartilaginosae massam tenuem quandam continent 3); interdum vero etiam compositi sunt ex materia glomerata cornuque simili 4). Quod ad formam modo ovales vel rotundi, modo compressi

1) Home *in: Sammlungen auserles. Abhandlungen zum Gebrauche prakt. Aerzte. Leipzig* 1801. *Bd. XX. St.* 1 *u.* 2. *S.* 638.

2) *Dupuytren in: Descot über die örtlichen Krankheiten der Nerven, übersetzt von Radius. Leipzig* 1826. *S.* 116, 119. — *In unserm unten mitgetheilten Falle.* — *Hesselbach in: v. Siebold Sammlung seltener und auserlesener chirurg. Beobachtungen und Erfahrungen. Rudolstadt* 1805. *Bd I.* S. 82.

3) *Odier und Gooch in: Descot l. c. S.* 121 *und* 122.

4) *Descot l. c. S.* 116.

vel plani. Superficies aequa, laevis et colore nitido-albescente aut flavescente. Melonis magnitudinem assequi possunt, tumque eos duros et pertensos, cum tetegeris, senties, ita ut saepius tangenti adesse videatur fluctuatio, saepius vero tam parvi permanent, ut magnitudinem grani milii minime superent, tumque eadem duritie sunt, qua cartilago 5). Quae cum ita sint, infitias ire nemo potest, sicut structurae ita etiam naturae genus horum tumorum esse diversum. Quaerenti autem, qualem frequentissime prae se ferant naturam, respondere debebis, plerosque eorum omnino structuram esse scirrho similem.

Nomen *tumor nervorum* jam indicat, sedem eorum quaerendam esse in nervo. Verum tamen monendum est, non proprie in medulla nervorum, verum in neurilemate ipso inter singulos nervorum fasciculos eos ita oriri, ut fila nervorum singula maximam partem in superficie tumoris investigari queant, partim etiam in tumore ipso se abscondere videantur.

Progrediamur nunc ad symptomata, quibus origo horum tumorum significatur: primum locus solito fit sensibilior, oritur interdum formicatio 6), interdum sentiuntur dolores obtusi cessantesque, qui pertinent usque ad fines nervi morbo affecti 7). Jam si tumor

---

5) Camper demonstr. anat. pathol. c. II. de nervis brachii c. 5
6) Vide casum nostrum infra narrandum
7) Descot l. c. S. 116.

sub cute apparet et fortasse in uno aliquo minorum periphericorum cutis nervorum sub cute ipsa situs est, raro fabae magnitudinem superat, atque adeo saepius ne grani milii quidem magnitudinem assequitur; sin autem jacet in nervo aliquo majore ob eamque causam in parte profundiore, celeriter crescit ad certam magnitudinem, tum saepius per plures annos crescere desinit; quibus exactis rapide crescendo progreditur, ita ut interdum melonis magnitudinem nanciscatur. Quo cum incremento complures texturae mutationes conjunctae sunt [8]; idque tumorum genus, quod colore flavescente interne solidum compactum et nitido-albescens est, paulatim eos formare tumores videtur, qui interne vesiculas cellulasque fluidis diversi generis repletas simul cum massa solida et steatomatosa continent, ita ut hi tumores, natura ipsa pares pro incremento tantum diversi esse videantur.

Si quaeras, quo in loco tumores isti frequentissime observentur, ex omnibus hujus morbi exemplis, quae quidem adhuc cognita sunt, colligere licet, saepissime apparere in extremitatibus, et frequentius in brachio, quam in crure, cujus rei ratio for-

---

8) Observations sur les tumuers développés dans les Nerfs. Dissertation par J. Léon Aronssohn. Strasbourg 1822. *Im Auszuge mitgetheilt in* Gerson *und* Julius *Magazin der ausländ. Literatur der gesammten Heilkunde. Bd. V. S.* 248.

tasse in eo quaeri potest primum, quod brachium plures numero nervorum truncos includat, quam crus, deinde, quod nervi brachiales causis occasionalibus magis expositi esse soleant, quam nervi aliarum corporis partium.

Diagnosis horum tumorum. Agnoscuntur:

1) *Ex loco*, an scilicet in decursu nervi alicujus sedem habeant; at id quidem potius de tumoribus majorum truncorum dici potest, quam de iis, qui oriuntur in minoribus ramis nervorum cutaneorum, quorum situs tantummodo, idque dolendum est, cultro anatomico accurate explorari potest.

2) *Ex forma*, sunt enim rotundi saepius etiam ovales, sitique sunt ita, ut diameter longissimus sequatur decursum nervi. Quod quidem symptoma plerumque in iis tantum tumoribus diagnosin adjuvat, qui siti sunt in nervo, cujus modus et ratio ex cursu normali cognitus est.

3) *Ex duritie elastica tumoris et ex colore cutis tegentis.* Digito imposito plerumque senties tumorem ubivis laevem, durum, constrictum, cutis autem tegens colore normalis est neque cum eo cohaeret. Semel tantum, quod quidem constat, cutis tumoris livida erat in homine viginti quinque annorum, qui syphilide laboraverat 9).

---

9) Aronssohn l. c.

4) *Ex experimentis.* a) Si leviter tangas tumorem, vehementissimos dolores excitas. Dolor volaticus est, per eos vero locos tantum extenditur, in quibus ramificat nervus, raro autem ad centrum systematis nervorum recurrunt, et id quidem tantummodo in nervis cutaneis reperitur.[10] Bisset hujus modi exemplum observavit, in quo dolor a pede usque ad costas breves volabat[11]. b) Tumor moveri mon potest nisi ad latus, dum secundum decursum nervi id omnino fieri nequit[12]. c) Nervo primum aliquantulum supra tumorem tumque demum tumore iqso presso nullus sentitur dolor[13].

5) *Ex symptomatis subjectivis.* Aegrotans interdum ita affectus est, ut si eae partes, in quibus nervus ramificat, torpescerent, tumor ipse dolore careat. Saepius autem in ipso tumore oriuntur dolores, qui crescendo sicut vis electrica[14], per partes adjacentes praecipue autem per eas, quae filis nervi affecti instructae sunt, evolant. In nervis

---

10) Aronssohn l. c.
11) *A. G. Richter's chirurg. Bibliothek. Göttingen* 1793. *Bd. XII. St. I. S.* 5.
12) Descot l. c. S. 116. — *J. Swan's gekrönte Preisschrift über die Behandlungen der Localkrankheiten der Nerven, übersetzt von* Franke. *Leipzig* 1824. *S.* 80.
13) *Nasse's Handbuch der speziellen Therapie. Leipzig* 1832. *Bd. II. Abtheil. I. S.* 121.
14) Descot l. c. S. 106.

cutaneis dolores frequenter in paroxysmo observantur, impetus vel brevius, vel longius temporis spatium permanent partesque proximas et postea etiam dolore affectas relinquunt 15). Interdum non dolent, nisi causa noxia, tempestatis mutatione, tactu aliisque accedentibus.

Diagnosis, quantum ab aliis similibus tumoribus differant. Hi quoque tumores ita locati, ut unum aliquem nervum premant, ejus impediunt functionem. Augentur etiam symptomata digito premente tumoribus imposito. Verum ne dicam tales tumores pressu continuato paralysin potius, quam dolores continuos provocare, hos etiam eo a tumore nervorum distinguunt, quod, si ita e loco proprio removes, ut nervum amplius comprimere nequeant, symptomata haud augeantur, sed potius minuantur, aut omnino tollantur 16); tum eo, quod hos tumores in diversas partes movere possis, illos vero nonnisi ad latus.

AETIOLOGIA.

Hi tumores in constitutionibus maxime diversis observari possunt. Saepius omnino reperiuntur in adultis et quidem ita, ut ii, qui siti sunt in nervis cutaneis frequentius in mulieribus, qui profundius,

---

15) Descot l. c. S. 109.
16) Nasse l. c. S. 122. Aronssohn l

saepius in maribus appareant[17]. Congeniti nondum reperti sunt neque usquam hereditarii demonstrari possunt, ita ut plerumque acquisiti esse videantur. Quod ad causas pertinet, ex iis, quae hucusque observari licuit, haec pauca proferri possunt. Saepe exsistunt ita ut nulla originis causa investigari possit. Adsunt, neque aegrotans prius quidquam sentit, quam nervus affectus in functionibus perturbatur, quod quoniam saepius repetitur, tempestatis mutationibus, singulis membri motionibus, pressu fortuito facto, cohortatur eum, ut hunc locum accuratius exploret. Hae perturbationes sunt prurigo, formicatio, torpor, dolores volantes in iis partibus, in quas nervus ramos suos mittit. Alii hujus generis tumores causam habuisse videntur mechanicam, ita ut orirentur ex pressione, percussione, lapsu, ictu cet. In qua laesione aut nervus simul laesus, compressus, torsus est, aut inflammatio hac causa mechanica orta nervum postea demum in sympathiam coëgit et ita ansam hujus tumoris dedit. Praeterea irritatio continua corporis alieni ad eos provocandos conferre videtur, quo pertinet, quod observavit Denmark, partem quandam glandis plumbeae fistulae igniferae (Flintenkugel) in nervo relictam talem tumorem effecisse[18].

---

17) Aronssohn l. c. Descot l. c. S. 107.
18) Swan l. c. S. 83.

DUBOIS[19]) quatuor homines hoc malo affectos curabat, qui omnes arthritide laborabant. Etiam SIEBOLD[20]) semel observavit duos hujusmodi nodos in crure, quorum alter prope alterum erat situs. In fine descriptionis hujus exempli haec verba adjicit, e senectute aliisque rebus colligi posse, aegrotam arthritide affectam fuisse. ARONSSOHN fortasse interdum syphiliticos esse dicit; quod ex uno exemplo ab ipso observato colligere videtur.

PROGNOSIS.

Tumores nervorum, quamquam celeriter exsistere videntur, tamen cum semel adsunt, saepe plures annos permanent, ne minima quidem eorum mutatione accedente. Haud raro autem tum crescere incipiunt eoque incremento in valetudine aegroti vim suam exercent, quo fit, ut tumor sensibilior, perturbatio in nervi functione vehementior, existat; cujus rei causa esse videtur, quod singula nervorum fila magis tenduntur, quodque vis mechanica aliqua facilius nocere potest. Res, qua hoc incrementum tam subito excitatur, non minus in obscuro est, quam causa originis. In exemplo, quod in clinico nostro observatum infra describam, evolutio vim suam

19) v. SIEBOLD l. c. S. 82
20) *Ebendaselbst.*

exercuisse videtur, et in uno de quo narrat Bisset 21), tumor in prima graviditate dum crescebat, simul dolores genuit, et cum in secunda graviditate doloribus auctis excisus esset, in tertia denuo apparuit. Saepe tales tumores observare possis, qui constitutioni haud ita noceant, quamquam ad mortem usque permanent. Saepe vero etiam dolor vehemens et continuus per eos provocatus paullatim vires aegroti consumit 22). Interdum continua irritatio irritabilitatem cerebri et medullae spinalis ita auget, ut impetus symptomatis epilepticis conjuncti sint, quo pertinet, quod observavit A. Portal 23) ubi exstirpatio tumoris aegrotam epilepsia liberavit. Hoc tumore in nervo cutaneo aliquo minore sito prognosis melior, quam in nervo majore. Si morbus tantummodo localis, prognosis multo melior est, quam si in morbo aliquo universali latet; quod eo confirmatur, quod Moutard-Martin 24) tumorem carcinomatosum in nervo mediano exstirpavit, quo facto massa carcinomatosa in cerebro exstitit, quae aegrotum vita privavit. Praeterea in prognosi magni momenti est, ut scias, in exstirpatione istorum tumorum, quae ut

21) Transact. of the Lond. med. soc. vol. III. in Descot l. c. S. 112.
22) J. Swan l. c. S. 81
23) Cours d'Anatomie médicale. T. IV. pag. 247. in Swan l. c. S. 82.
24) Vid. Descot l. c. S 119.

experientia docet, plerumque nonnisi cultro fieri potest, cohaerentiam nervi eoque et functionem ejus tolli. Nervos tantummodo dissectos denuo conjungi et hac conjunctione etiam functiones eorum redire satis notum est, neque minus expertum habemus excisionem minoris alicujus partis nervi hanc reunionem non impedire. Sin autem pars excisa crescit ad longitudinem pollicis et ultra, spes reunionis omnino nulla esse videtur.

THERAPIA.

Cura causalis. Ut origo talium tumorum caveatur, prohibeantur omnia, ex quibus dispositio eorum nasci queat, i. e. removeas dyscrasias, impedias, quominus nervi laedantur, tendantur, premantur, torqueantur. Removeas corpora aliena; quae nervos continuo irritant sive extrinsecus accesserint, sive sint abscissae ossium partes, exostoses, sanguis, pus. *Ne* negligas inflammationes partium adjacentium, Quae omnia eo cautius observanda sunt, si jam antea tales tumores adfuere.

Cura morbi. Plura jam adhibita sunt remedia et interna et externa, quibus aegroti istis liberarentur tumoribus; interna autem nihil ad sanandum valere, si jam eo sunt progressi, ut quasi corpus quoddum sint, jam ex structura eorum facile intelligi potest; externa hucusque adhibita haec sunt: emollientia et resolventia, caustica, culter chirurgicus.

1. *Emollientia et resolventia.* Ex natura tumorum jam ex parte perspicere possumus, haec remedia quid ad sanandum valeant. CAMPER [25]), qui plures hoc morbo laborantes his remediis sanare studuit, ea non modo nihil profuisse, sed potius symptomata auxisse contendit, quod idem dicit HOME [26]), qui plura horum remediorum ad removendum hujusmodi tumorem in fossa axillari adhibuit nonnisi ad symptomata minuenda et ita operationem periculosam prohibendam. Eodem modo ea rejiciunt DUBOIS, [27]) et v. SIEBOLD [28]). DESCOT [29]) autem exemplum profert, ubi operatione negata narcotica impetus liniebant.

2. *Caustica.* Etiam horum remediorum applicatio, ut universe dicam, haud multum profuit, exceptis duobus exemplis, ubi tumores siti erant in nervis cutaneis, in altero a C. G. NEUMANN [30]) observato, tumor in antibrachio situs pisi erat magnitudine in altero a v. SIEBOLD [31]) observato, ubi duo tales tumores fabae magnitudine prope jacentes in crure inter malleolos exstabant, remedium cosmi

---

25) v. SIEBOLD l c. S. 61.
26) *Sammlung auserles. Abhandlungen zum Cebrauche praktischer Aerzte* l. c. *S.* 632.
27) v. SIEBOLD l. c. S. 80.
28) *Ebendaselbst.* *S.* 81.
29) DESCOT l. c. S. 115.
30) v. SIEBOLD l. c. S. 54.
31) *Ebendaselbst.* S. 80.

auxilium tulit. Sed duobus annis post iidem tumores iterum apparuerunt, eodemque caustico antea alta incione in tumores facta, in perpetuum remoti sunt. Ut igitur hic fieret successus certior, causticum cultro adjuvari necesse fuit-

3. *Culter chirurgicus.* Hoc et optimum et plerumque solum esse remedium ad removendos hosce tumores, omnia confirmant, quae medici docti experti sunt. Diversa autem ratio est, qua adhiberi potest, quaque adhibitum est. Et quidem ita, ut primum nervus supra tumorem denudetur tumque dissecetur vel pars aliqua excidatur, deinde, ut nervus supra et infra tumorem denudetur, tumque dissecetur vel pars excidatur in utroque loco, tum ut excidatur tumor et quidem, ut aut e nervo praeparetur aut nervo supra et infra tumorem dissecto excidatur; denique, ut amputetur membrum supra tumorem.

1) Denudatio nervi supra tumorem ejusque dissectio vel excisio partis alicujus. Simul cum dissectione nervi, ut jam supra memoravi, et ejus functio infra locum dissectum tollitur, quo item symptomata, quae loco morboso partis resectae nasci possint, prohibentur. Quod si etiam pars morbosa ipsa removeatur, haec operationis methodus certe reliquis praeferenda esse videtur. Praeterquam enim quod operatio fere nulla est, maxima accedit etiam verisimilitudo reversurae nervi functionis.

Quum autem neque experientia dissecto nervo supra tumorem, resorptos esse illos tumores concedat, et ex ipsa natura tumoris eum evanescere dubitari possit, potius malum eadem qua prius ratione et modo redire, quam funditus sanari hac operationis methodo probabile est. Nam si reunione nervi dissecti functio in parte abscissa recedat, tumor adhuc exstans eadem symptomata procreabit, quae antea ad operationem impulerunt. At non redeunte reunione functioneque aegrotus non solum nervi functionem privatur, verum etiam partem morbosam per omnem vitam retinet, qui exitus eo certior esset, si nervi particula excideretur, quo spes reunionis, etiamsi non plane tolleretur, attamen turbaretur.

2. Denudatio nervi supra et infra tumorem ejusque dissectio, vel excisio alicujus partis in utroque loco. Nervorum reunio hac ratione eo minus exspectari potest, quo ea pars nervi in qua inest tumor utroque loco ex connexu organico dissoluta est. Nihilo minus autem tumor in futurum remaneret, ex quo apparet, nihil amplius profectum esse, quam ratione supra allata, siquidem illic nervus reunione careat. Operatio ipsa autem multo major vehementiorque est, cum duobus locis adhibeatur, neque magis prosit, quam uno adhibito loco. Ex hac sola ratione apparet, quantopere haec operationis methodus repudianda priorique sit posthabenda.

3. *Excisio tumoris.* a. Praeparatio ex nervo. Haec operandi methodus hoc praestat ceteris, quod nervi connexum non plane tollit functionemque ejus infra locum morbosum ex aliqua certe parte conservat. Sed ne dicam, singula nervorum fila saepe ita cum tumore cohaerere, ut haec operandi ratio adhiberi non possit, ob eamque causam non ubique fieri queat, experientia docet, laesionem alicujus nervi vehementissimis conjunctam esse symptomatis: gravissimi enim oriuntur dolores in decursu nervi, terribiles se ostendunt convulsiones 32). Si exploras nervos ita incisos singulos fasciculos dissectos se retrahere reperies, et sic tensionem fasciculorum adhuc cohaerentium provocare. Ex quo apparet, quam ob causam omnia alia remedia frustra adhibeantur, solaque totius nervi dissectio haec symptomata tollere possit. Quoniam igitur praeter magnos dolores, quibus haec operationis methodus conjuncta est, etiam successus incertus est, immo et alteram plerumque necessariam faciat operationem, non dubitaverim, eam ut maxime incertam repudiare.

b. Excisio tumoris post nervum supra et infra dissectum. Haec ratio non solum symptomata per tumorem nata, verum etiam tumorem ipsum removet.

---

32) Swan l. c S. 100.

At altera ex parte id habet incommodi, quod nervi functionem, cujus pars major excisa est, in posterum impedit. Si tumor in superficie in fasciculo quodam minore nervorum cutaneorum situs est, haec methodus sine dubio optima est; celerrime enim et certissime malum tollit, et damnum permanens tam minusculum est, ut saepe ne animadvertatur quidem. At si situs est in nervo majore profundiusque abscondito, damnum permanens gravius maximique momenti est, quoniam hic nervus plures majoresque partes ramis suis repleat. Quae partes si simul et aliorum nervorum ramos suscipiunt, hanc eandem indicant operationem, sin minus, si solus nervus est, qui hanc in partem ramificat eamque ob causam haec pars necessarie emoritur, ad extremum et ultimum remedium fugiendum est; quumque fieri possit partis amputatio facienda.

Observatio in clinico Bonnensi instituta.

Joannes Friedericus Knauf, Bacharachiensis, undeviginti annos natus, sartor, die XXII. Augusti anni MDCCCXXXII. auxilium petens contra tumorem in brachio dextro ortum in clinicum chirurgicum Bonnense se contulit. Illic exploratione facta intellectum est, constitutionem ejus esse debilem, musculos pro aetate parum excultos et laxos; temperamenti sangui-

nei satisque sensibilis esse, ceteroquin satis vigenti ad subeundam, si qua necesse esset, operationem praeditus videbatur. Pectus satis planum et angustum, murmur respiratorium ubique audiebatur, lingua non obtecta, digestioque bona erat.

Quod ad anamnesin pertinet, aegrotus declarabat, se in nullum eorum incidisse morborum, quibus infantes laborare solent, nisi in morbillos capitisque chron. exanthema, quod anno aetatis duodecimo exortus post duos menses sponte evanuit. An hereditaria indoles affuerit, probari nequit, cum aegrotus octo demum menses natus parentibus orbatus fuerit, morbo epidemico anno MDCCCXIII grassante.

Anno decimo aetatis de muro ita decidit, ut cubitus dexter lapidi affligeretur. Quum surgeret, brachium in cubitu in angulum rectum curvatum extendere non poterat. Chirurgus arcessitus eum per alios, qui forte aderant, cohiberi jubens, altera manu cepit antibrachium in parte superiore altera manum aegroti, brachioque laeso initio paullulum extrahens, tum directe extendens mobilitatem reddidit. Haud multo post, quum brachium fere sanatum esset, jamque sine mitella portaretur, de sede aurigae rursus in cubitum decidit, quo dolor vehemens in eo loco ortus post nonnullos dies nihil, quod quidem fuisset magni momenti relinquens, sponte recessit, quamquam aegrotus, hunc alterum casum multo illo

priore majorem vim habuisse putabat ad procreandum tumorem, qui infra a me describetur.

Post tres fere menses in latere interiore humeri dextri per aliquot tempus dolorem prurientem sentiebat, quo coactus, locum accuratius perscrutari, tumorem magnitudine juglandis detexit, qui pressus dolorem prurientem pungentemque effecit, qui secundum ulnam decurrebat in palmam manus, et usque ad quartum quintumque digitum progrediebatur. Hic tumor primis annis non mutatus, eum non impediit, quominus anno decimo tertio ad artem sartoriam discendam sese conferret. Unica molestia ex eo orta haec erat, quod, si eum tangeret aut premeret, aut tempestatis aliqua facta mutatione, dolores sentiebat prurientes formicantesque et in tumore ipso et in palma manus et in digitis. Ad annum decimum quartum neque tumor neque aegrotus ipse crescebat, tum vero uterque grandescere coepit, ut fere anno abhinc eam magnitudinem nactus esset tumor, quam nunc habet. Ante mensem dolores sentiebat pungentes in dextro pectoris latere, in spiritu ducendo crescentes. Sponte evanuerunt, sed decem diebus post, iisdem redeuntibus perque octo dies permanentibus, aegrotus die XXX. Augusti in Policlinico medico se contulit, ubi morbus ut pleuritis inventus et sanatus est. Exploratio tumoris probavit, eum sesqui fere pollicem supra condylum internum

ossis humeri dextri in latere interiore arteriae brachialis et lineas fere tres ab ea remotum esse. Magnitudinem et formam habet ovi gallinae, durus est neque elasticus, mobilis facili opera et superficie levi. A fine inferiore sese protendit funis elasticus tendini similis, qui initio latior, sed quo magis recedit ab ipso tumore, fit tenuior et condylo interno ossis humeri adhaerere videtur. Tumor quotiescunque tangatur, dolet, qui dolor volaticus praeter ulnam deorsum tendens in palma manus sese effundit ut sensus pruriens et pungens, inque quartum et quintum digitum procedit. Dolorem in ipso tumore ut prurientem paullulumque pungentem describit, in toto ejus circuitu extensum, qui augetur simulac tumorem vel sursum vel deorsum, non vero, si ad latus moves. Doloribus hisce pressu similes existunt tempestatis aut mutatione aut humiditate, ita ut manus perpetuo affecta sit, dolore pruriente, aegrotusque eam altera manu terere et fricare cogatur. Contra sicca tempestate, si tumor non est compressus, omnis abest dolor. Lenis pressus supra vel infra tumorem sicut in loco condyli ossis humeri, ubi decurrit nervus ulnaris, non dolet, fortius autem si premas, dolorem provocabis supra descripto similem. Brachium noctu curvatum si aegrotus mane extendere studet, vehementissimos sentit dolores, qui tum de-

mum minuuntur, quum manu brachium apprehendit, directeque tendit, quo libera ejus mobilitas restituitur. Simile quoddam reperias in quarto et quinto digito, qui interdum motione spontanea carent; minimum vero digitum fere nunquam plane extendere potest. Improviso si tangis, aegrotus contremescit, quod mihi nonnisi a dolore proficisci videtur. In una alterave tumoris motione novos etiam affectus in reliquo nervorum systemate oriri, minime probari potest.

Diagnosis neuroma constituit, et operatio ut unicum remedium declarata die xxix Augusti facta est hoc modo: Scalpello convexo cutis secundum longitudinem incisio facta est, quae supra et infra dimidio fere pollice tumorem superabat; qua incisione simul et fascia aponeurotica humeri diffisa tumorque nudatus est. Primo adspectu omnino nervus esse videbatur, quoniam tela cellulosa nervum involvens valde injecta in lucem procedebat. Sursum deorsumque tumor paullatim tenuior videbatur. Cutis facta incisione, itum est ad excisionem partim cultro partim manubrio scalpelli factam, qua nervus in utraque parte denudatus accurateque est exploratus. Funis supra memoratus a tumore ad condylum usque pertinens, ut nunc perspectum est, nervus ulnaris ipse erat, qui prope tumorem situs morbose contu-

mefactus paullatim tenuior fiebat. Hucusque operatio partim incisione cutis, partim autem maximeque manipulatione tumoris denudati magnum procreaverat dolorem. Aegrotus, quamvis haud modo inique se gereret, tamen alta voce de dolore questus est. Per omne hoc tempus propter dolorem spasmodice manum claudebat cubitumque curvatum in angulum rectum tenebat. Nervus jam sursum satis denudatus iterumque exploratus, scalpello acuto sub eo illato, celeriter dissectus est. Quod quum fieret, aegrotus alta voce de dolore in mânu orto lamentabatur, post factam autem sectionem digitos suos rigidos esse dicebat; digitos ut extenderet rogatus, totum extendere digitum minimum non poterat, quod ne ante operationem quidem, quamquam non tanto gradu potuerat. Sensus in extremo parvo digito plane evanuerat. Omni tumore nunc exciso nervus infra dissectus est, quod nonnisi mediocribus conjunctum erat doloribus. Remota parte morbosa arteriae adhuc sanguinem fundentes numero quatuor subligatae, tum cutis margines supra contractae et denique molle linteum carptum in deligando adhibitum. Aegrotus nunc operatione facta sponte usrrexit, neque admodum viribus exhaustus cubitum ivit.

Quae cum essent facta, aegrotus de vehementibus in vulnere doloribus queri coepit. Quam ob causam hora undecima ei dosis opii data est, quae dolores propulit. Hora postmeridiana quinta pulsus erat normalis, hora autem septima multum ardorem in toto corpore sentiebat aegrotus. Solutione ex nitro et natro sulphurico cum aqua lauro-cerasi data aegrotus noctu, praeterquam quod aliquoties somnus interruptus est, bene dormivit. Alvus bis soluta. Die XXX, Augusti mane aderat febris modica conjuncta cum ardore in vulnere. Frigidis factis fomentationibus, vesica aqua repleta frigida sub brachio est posita; vespere tamen febris aliquanto erat vehementior. Die XXXI. febri permanente vulneris dolor cessit. Mixtura supra nominata repetita simulque acidum sulphur. dil. in potu datum est. Die I. Sept. Nocte aegrotus bene dormiverat, pulsus etiam nunc satis frequens est. Alvus bis soluta. Apetitus haud magnus, ceteroquin lingua non obtecta, neque dolor vehemens est. In fasciis nunc demum renovandis vulnus purum sese ostendit. In reliquo curationis decursu nihil, quod quidem fuisset inusitatum, accessit; febris symptomata mox omnino cedebant, ita ut aegrotus lautiorem habere posset diaetam. Die XX. Sept. denuo sensus recurrit in parte ulnari digiti quarti. Postea granulationes luxuriantes lapide infernali coërcendae erant,

quo duo vasa lymphatica prope jacentia consensualiter intumescere coeperunt, ita tamen, ut nullus inde exsisteret dolor. Ung. mercur. et empl. de cicuta applicatis paullatim id malum evanuit. Die XVII. Octbr. aegrotus sanatus e clinico dimissus est, quo die in digitum quintum sensus mondum redierat. Tumoris excisi disquisitio anatomica haec obtulit. Forma et ambitus tumoris, abrasa tela cellulosa ambiente, ovi gallinacei erant. Color externus albido-flavescens. In fine superiore et inferiore, ubi cum nervo fuerat conjunctus, plures vesiculae erant, sero flavescente repletae. In fine superiore videre licebat, nervum parte sana dissectum esse, in fine inferiore pars dissecta sana nervorum fila ost ndebat, ita tamen, ut nonnullae vesicarum supra descriptarum ab iis penderent. Dissecto tumore textus morbosus a funiculis nervi ipsius plane sejunctus apparebat, quippe qui late extensi et hinc inde disjecti, sed structura normali videbantur. Praeter tumoris limites vesiculae istae apparebant, quae sursum et deorsum paullatim rariores fiebant. Nervus ipse novem fere lineas a tumore remotus formam plane normalem prae se tulit. Fasciculi nervi initio divisi partim in tumoris substantiam sese abscondebant, partim in ejus decurrebant superficiem. Interna tumoris erant flavidi coloris, steatomatosa cartilaginosa, solida et innumerabiles parvas cellu-

las sero flavescente repletas continebant. In parte brachio adversa, cum dissecaretur, nucleus apparuit parvulus, substantia alba, caseosa tuberculisque simili consistens.

Explicatio tabulae:

a) Pars nervis superior.
b) Pars ejus inferior.
c) Superficies interna tumoris dissecti.
d) Nucleus ille.

VITA.

Ego Theodorus Baumeister, *Bilkensis*, fidei catholicae addictus, natus sum anno MDCCCVII, patre Ferdinando quem anno praeterlapso morte mihi abreptum lugeo, et matre Catharina Keil, quam adhuc inter vivas veneror. Primis literarum rudimentis imbutus Gymnasium primum *Düsseldorpiense*, deinde Marcodurense adii. Quod alterum cum per septem annos, alterum per annum frequentassem, testimonio maturitatis dimissus anno MDCCCXXVIII almam universitatem Fridericiam Guilelmiam Rhenanam adii, ubi Rectore Magnifico, clarissimo *Heffter* in numerum civium academicorum receptus atque Decano cl. Bischoff albo gratiosae facultatis medicae inscriptus, per quatuor annos et quod superest hasce et philosophicas et medicas audivi praelectiones:

Logicam et psychologiam mihi tradidit cl. *van. Calker*; anthropologiam cl. *Nasse*; physicam experimentalem cl. *a Münchow*; botanicen generalem cl. *Nees ab Esenbeck* sen.; chemiam experimentalem cl. *Bergemann*; zoologiam cl. *Goldfuss*; mineralogiam cl. *Noeggerath*.

De arte medica has audivi praelectiones:

Osteologiam, syndesmologiam et anatomiam specialem apud cl. *Weber*; anatomiam specialem et physiologiam cum experimentis conjunctam apud cl. *Mayer*, qui quoque una cum cl. *Weber* in arte cadaverum dissecandorum mihi dux fuit; encyclopaediam et methodologiam artis medicae, pathologiam generalem et semioticen generalem apud cl. *Müller*; materiam medicam et casuisticum practicum apud cl. *Harless;* therapiam et generalem et specialem apud cl. *Nasse;* chirurgiam, artem obstetriciam, instrumentorum obstetriciorum doctrinam, operationum chirurgiae praecepta, morbos oculi humani, medicinam forensem, quoad artem obstetriciam pertinet, apud cl. *Kilian;* fracturas, luxatione, et artem fascias applicandi apud b. *a. Siedmogrodzky;* medicinam forensem et epizootias apud cl. *Bischoff;* acologiam et akiurgiam apud cl. Dr. *Nasse*.

In clinico propaedeutico per semestre, in clinico therapeutico per annum cl. *Nasse*, in clinico chirurgico per semestre cl. *Kilian*, per annum cl. *Wutzer*, qui et ipse in operationibus in cadavere instituendis mihi fuit moderator, in clinico obstetricio et in exercitationibus in phantomate instituendis per annum et dimidium cl. *Kilian* mihi duces fuere.

Quibus omnibus viris de me maxime meritis gratias, quas possum, maximas habeo semperque habebo.

THESES.

I. *Plethora universalis esse non videtur.*


II. *Fungus medullaris et fungus haematodes idem.*

III. *Ad rupturam perinaei recens exortam sanandam una sufficit ansa.*

IV. *Secale cornutum in uno tantum casu ad partum accelerandum indicatum est.*

V. *Exploratio externa praestat in graviditate dubiosa internae.*

VI. *Versio spontanea non est exspectanda.*



ad nat

Lith. Henry & Cohen Bonnae.